

**DE STIPENDIO PRO MISSIS
AD INTENTIONEM
«COLLECTIVAM» CELEBRATIS
IUXTA DECRETUM «MOS IUGITER»**

SUMMARIUM: Auctor, post expositas rationes ac momentum quaestionis, I. Exponit eius praenotanda, nempe historiam quaestionis, sive ante sive post Concilium Vaticanum II, simul ac quaesita circa rem nostram S. Sedi missa et disciplinam usque nunc vigentem. II. De Decreto «Mos iugiter» tractat sub triplici aspectu: A) De aspectu formali; B) De parte motiva; C) De parte normativa, in qua proponit 1) ea quae reprobant; 2) ea quae approbant; 3) ea quae iterant; 4) ea quae Episcopo diocesano in hac re commendant. III. Tandem quasdam addit animadversiones circa disciplinam Decreti, non omissis aliquibus annotationibus criticis.

Congregatio Cleri, cuius est, praeter alia, de stipendiis missarum vigilantiam exercere¹, decretum edidit die 22 mensis martii huius anni 1991, «circa agendi rationem, haud ita pridem inductam, qua Sanctae Missae celebrantur ad satisfaciendum intentionibus, quas “collectivas” vocant»².

¹ Cf. C.A. *Pastor Bonus*, art. 97.2.

² Congregatio Cleri, Decretum «*Mos iugiter*», die 22 feb. 1991, in *L'Osservatore Romano*, 23 marzo 1991, p. 1; AAS 83 (1991) 443-446.

³ Paenitentiaria Apostolica, Instructio de materiis nonnullis quae a Sacra Paenitentiaria pertractantur... pro effectibus in foro interno obtinendis», 15 iulii 1984, in X. OCHOA, *Leges Ecclesiae*, vol. 6 (Roma 1987) 8874. Non aliter Secretaria Status, in notificatione de mandato PAULI VI, «de applicatione Missarum», die 29

Momentum quaestionis leve non est, «sive quia tangit reverentiam erga SS.mum Eucharistiae Sacramentum sive quia attinet ad obligationes quae sunt strictae iustitiae, sive demum quia magnopere potest aut favere aut e contra laedere fiduciam fidelium erga suos sacerdotes»³.

Quapropter nostrum erit supradictum Decretum exponere necnon eius disciplinam examini subijcere, ut, in quantum fieri possit, et mens Ecclesiae clarius pateat et supradicta disciplina aeque interpretemur et applicetur.

I. De praenotandis

1. De agendi ratione qua Sanctae Missae celebrantur ad satisfaciendum intentionibus quas «collectivas» vocant dicit Decretum: «haud ita pridem inductam». Quando et quomodo haec nova habitudo exorta est?

Investigatio de tempore anteacto ostenderet praecedentia huius rei saeculis elapsis, nam videntur data fuisse indulta sive individuis sive communitatibus *«in quibus sinebatur satisfacere, etiam titulo iustitiae, unico sacrificio, diversis obligationibus exortis ex pluribus stipendiis acceptis»*, ut ait T. ORTOLAN, remittens etiam ad documenta exhibita a D. PALMIERI⁴.

nov. 1971, suadet gravitatem materiae: «Quo clarius ordinetur materia, gravis multumque prudentiae postulans, quae ad celebrationem et applicationem Missarum ad intentionem offerentium pertinet...» (AAS 63, 1971, 841).

⁴ T. ORTOLAN, «Honoraires de messes», *DTC* 7 (Paris 1922) 81. Remittit ad D. PALMIERI, *Opus theologicum*, tr. X, secc. IV, n. 3. n. 245, 252, t. IV, p. 719, 723. ORTOLAN tamen addit: «Toutefois, par l'application trop étendue de cette doctrine, et peut-être par la multiplication des indults de ce genre, les abus

Sed quae nonnunquam exstiterunt, iam a tempore disparuerant, ita ut principium adeo firmum ac veluti fulcrum disciplinae esset: «*Tot celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerint*» (CIC 1917, c. 828* cum fontibus).

2. Post Concilium Vaticanum II, nova sensibilitas invaluit, quae si quandoque ad negandam ipsam legitimitatem stipendii pervenit⁵, alias simpliciter Missam respicit tanquam «*actionem Christi et Ecclesiae*» (c. 899, § 1), «*sacrificium Patri acceptabile et toti mundo salutare*»⁶, in quo intercessio exercetur pro

grandirent à tel point que le saint siège dut intervenir rigoureusement à diverses reprises. Nous citerons ici, en particulier, un décret d'Urban VIII, révoquant tous les indulges précédemment accordés et ordonnant de célébrer désormais autant de messes qu'on aurait accepté d'honnoraires divers: «Id ut deinceps observetur exactius, S. Congregatio revocat privilegia et indulta omnia quibusve personis, ecclesiis ac locis piis, tam saecularibus quam regularibus cujuscumque ordinis, congregationis et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat» (DTC, l.c., col. 81).

⁵ «*Nel clima dell'odierna contestazione, si è venuta radicalizzando [la problematica circa lo stipendio] sul problema di fondo, rimettendo in discussione la dottrina tradizionale circa i frutti speciali del Santo Sacrificio e, per conseguenza, la stessa applicabilità della Messa per intenzioni o richieste particolari e personali. In altre parole ... si tende oggi a negare la stessa legittimità dello stipendio, anzi se ne chiede apertamente l'abolizione*» (D. GALEA, «Dottrina antica e problematica moderna sulla legittimazione dello "stipendium Missae"», in *Divinitas* 25 (1981) 184. Cf. R. FALSINI, «Supermercato delle Messe», *Rivista di pastorale liturgica* 170 (1970) 488-491.

⁶ Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, Proemium 2 (*Enchiridion Vaticanum* = EV 3/2019), insequens textus Precis Eucharisticae IV.

toto Populo Dei et universo mundo⁷, — i.e. sub eius dimensione communitaria et universali —, simul ac vitat ne «*appareat intentio particularis quasi quoddam monopolium habere Missae quae offertur*», ut verbis utar cuiusdam consultoris coetus de sacramentis, intra Commissionem ad CIC recognitionem⁸.

Signum quoque huius praxis habetur in processu elaborationis novi Codicis, nam in schemate de sacramentis anni 1975, can. 114, dicebat:

«§ 2. *Licet autem unam eandemque celebrare et applicare Missam ad intentionem plurium, qui ad communem pro eiusdem Missae celebratione et applicatione stipem oblatam ad libitum contulerint*»⁹

Ut videtur, timor ne abusus aliquo modo faverentur coegit ad suppressionem paragraphi¹⁰.

3. Problema tamen suppressum non est. Sic Episcopus quidam, hoc ipso tempore plus minusve, propriam praeoccupationem exponebat cuidam experto romano, quaerens orientationem: «*Ut tu bene scis, hodie pervasit in Ecclesia theoria vel doctrina applicandi Missam unam pro pluribus stipendiis seu intentionibus. Et praedictam Missam ita appellant communitariam*»¹¹.

⁷ Cf. Prex Eucharistica IV.

⁸ Cf. *Comm* 13 (1981) 432.

⁹ Cf. *Comm* 13 (1981) 434.

¹⁰ Cf. *Ibid.* «... Secretarius Commissionis notum facit duas pervenisse litteras circa abusus sic dictae Missae communitariae, qui in hoc textu aliquod inveniunt adiutorium ideoque proponit ut deleatur [...] Exitus suffragii est quattuor contra tres; ergo supprimitur».

¹¹ D. GALEA, «Dottrina antica e problematica moderna sulla legittimazione dello "stipendium Missae"», *Divinitas* 25 (1981) 299.

Subsequenti tempore, i.e. anno 1981, Ordinarius Rubribaculensis (Baton-Rouge, in USA), non iam experto privato sed ipsae S. Sedi hoc quaesitum proponebat:

«Aliqui parroci posuerunt caxam in parte postera suarum ecclesiarum, in qua fideles possunt indicare nomen vel nomina personarum pro quibus volunt ut Missa offeratur in aliquo determinato die. Ut obvium est, sunt qui insimul cum nomine vel nominibus dent quoque elemosynam. Una Missa applicatur pro diversis intentionibus et pro summa elemosynarum reollectarum in caxa».

Timebat Episcopus ne talis praxis contradiceret normis de stipendiis. Congregatio pro Clericis, die 21 aug. 1981 respondit:

«Iuxta principium canonicum de «tot missis quot stipendia» c. 828 CIC, parochus qui recipit oblationes secundum modum expressum in Eius littera, celebrare debet tot missas quot possunt celebrari cum summa recepta, supputando earum numerum attenta stipe statuta in dioecesi»¹²

4. Criterium aliquantenus diversum et magis conciliatorium expresum fuerat a Secretaria Status in littera ad Praefectos variorum dicasteriorum Curiae Romanae, die 17 iunii 1974, devolvens eis, nomine Summi Pontificis, competencias habituales in hac materia¹³, eosque suggerens ut episcopos diocesanos hortarentur ad determinandam taxam dioecesanam, in praesens habitis diversis circumstantiis, quoad onera missarum, necnon «*novos eventuales modos appli-*

¹² Cf. X. OCHOA, *Leges Ecclesiae*, vol. 6 (Roma 1987) 8206.

¹³ Competentiae temporaliter sublatae fuerant a PAULO VI, per notificationem Secretariae Status «Quo clarius» circa onera missarum, 29 nov. 1971: AAS (1971) 841 et EV 4/1133.

cationis pro omnibus christifidelibus adstantibus et offerentibus, pro christifidelibus qui oblationem deposuerunt in caxa ad rem, etc.»

Adjungit tamen rem magni momenti: «*Expedit tamen enixe indicare quod, iuxta mentem Romani Pontificis, nec commendari nec foveri debent illa incoepta vel illae habitudines quae aptae sint ad minuendam copiam elemosynarum vel ad minorandum momentum oblationum singularium*»¹⁴.

Ultimo denique, ut omnia constent in hoc itinera-rio disciplinae, liceat memorare S. Paenitentiarium, in Instr. *Suprema Ecclesiae*, die 15 iulii 1984, dum proponit, pro foro interno, quoad nostram rem:

*«Iuvat adnotare quaedam in specie circa materiam quae... est magni momenti in vita Ecclesiae.../.../»... aliquid adiungitur relate ad modum, qui alicubi cum permissu Ordinariorum invaluit uniendo plurium fidelium intentiones in una tantum Missae celebratione: id quidem licere, tantummodo si fiat assentiente Ordinario ac de plena advertentia ipsorum oblato- rum, qui certiores fieri debent de hoc modo agendi, ita ut nullimode contra iustitiam defraudentur»*¹⁵

5. Veniret nunc expositio de normis latis ab Episcopis diocesanis individuatum, suggestiones S.

¹⁴ EVS 1/511. Notetur tamen quod apud Enchiridion Vaticanum, Supplementum 1 (Bologna 1990) mendum irrepsit quoad datum: non 17.6.1984 sed 17.6.1974.

¹⁵ X. OCHOA, *Leges Ecclesiae*, vol. 6, col. 8875. Quandoque animadversum est S. Paenitentiarium, in hac Instructione, nihil dicere de limitatione, quoad sacerdotem, retinendi tantum stipem in dioecesi statutam, dum pecuniae summa hanc dioecesanam stipem excedens, remittenda est Ordinario. Sed caveatur, nam Instructio remittit explicite ad canones de hac re, iuxta quos norma de retinendo unico stipendio in die, attenta stipe statuta in loco, clare constat; cf. c. 951, § 1; videas etiam cc. 946-947.

Sedis insequentibus¹⁶, vel in conferentiis adunatis¹⁷. Sufficiat tamen earum mentionem facere, utpote quod hic agimus de normis pro universa Ecclesia ac de mente S. Sedis in re.

Fine finaliter venit Decretum «Mos iugiter», cuius schema remissum fuit, pro consultatione, Conferentiis Episcoporum, die 22 feb. 1986.

II. De decreto «Mos iugiter»

Tria videntur tractanda de hoc decreto, quaeque spectant ad aspectum formalem, dein ad partem motivam, et denique ad partem normativam.

¹⁶ Sic, v. gr., in Hispania, Episcopus Flaviobrigensis (cf. *Boletín Oficial de la Diócesis de Bilbao*, 1979, 411-413), Episcopus Salmanticensis (cf. *Boletín Oficial del Obispado de Salamanca*, 1982, 21-23).

¹⁷ Cf. v. gr. Conferentia Episcopalis Lusitana, «Instrução pastoral sobre a celebração e aplicação da Missa», Lisboa 18 de dezembro de 1984 (Archivo particular); Conferenza Episcopale Laziale, «Delibera per le sovvenzioni e provvisori alle necessità della Chiesa», «approvata dalla Conferenza Regionale de Lazio in data 15 giugno 1988, e dal Sommo Pontefice in data 6 agosto 1988» (Archivo particular). Normae Conferentiae Episcopalis Lusitanae hoc habent peculiare: dum ex una parte loquuntur de accumulatione stipendiorum («... os Bispos admitem como legitima a celebração da Missa por varias intenções e consequentemente a acumulação de estipendios»), ex alia, inter conditiones, enumerant quoque: «depois de retirada para o sacerdote a parte correspondente a taxa diocesana, o remanescente seja enviado aos Servicios da Curia para a celebração de Missas pelas intenções dos oferentes». Tandem aliquando, ergo, nec agitur de vera accumulatione stipendiorum, nec violatur principium «tot Missae quot stipendia».

A. DE ASPECTU FORMALI DECRETI

1. Agitur de decreto generali prout describitur in CIC Lib. I, tit. III, quod proprie est lex et regitur praescriptis canonum de legibus¹⁸. Datur, proinde, a legislatore vel etiam ab illo qui potestate executiva tantum gaudet, modo id «*ipsi a legislatore competenti expresse fuerit concessum et servatis condicionibus in actu concessionis statutis*» (c. 30). Iam vero, quia Congregatio Cleri, hoc decretum statuens, organum est potestatis executivae, decretum generale tantum ferre potest in quantum ipsi a Romano Pontifice concessum fuerit¹⁹, ut de facto evenit in casu.

¹⁸ Bene tamen ait J. URRESTI: «Pero hay que distinguir entre leyes y estos decretos. Aunque dice que son propiamente leyes van incluidos bajo el título de Decretos Generales y no bajo el de leyes tratadas en el título I. La diferencia entre leyes propiamente tales y técnicamente dichas... y estos decretos está en su materia: las leyes tienen un contenido autónomo y son de suyo estables y perpetuas. Estos decretos-leyes tienen alguna nota singular que les diferencia de aquellas: suelen salir al paso de problemas sociales urgentes que merecen la atención del legislador; pero no tanta como para dar una ley — perpetua — por tratarse de problemas circunstanciales; o por ser problemas más o menos permanentes pero con una gran movilidad social que requieren normativa renovada constante; o porque sobre ellos hay lagunas jurídicas parciales para cuya solución eficaz no bastan los criterios del c. 19; o porque son problemas cuya regulación legal ha sufrido desfase o está superada por la sorpresa del nuevo fenómeno social; o porque son problemas que requerirían una ley apropiada — quizás ya en elaboración —, pero que no pueden esperar a que se termine de hacer la ley, siempre lenta y costosa en su elaboración; o porque problemas que no merezcan una intervención tan solemne como es la de la ley o la del legislador mismo, sino que sea más prudente la intervención de un colaborador de potestad ejecutiva al que faculte el legislador» (Anotación al c. 29, in *Código de Derecho Canónico. Edición bilingüe anotada*, 10 ed., Madrid 1991).

¹⁹ Sic etiam in C.A. Pastor Bonus, art. 18.

2. Ait enim Decretum sub fine: «*Summus Pontifex, relati Decreti normas in forma specifica... approbavit, easque promulgare et vigere iussit*».

Expressio desumitur ex Const. Apost. Pastor Bonus, art. 18, ubi ait: «*Dicasteria leges aut decreta generalia vim legis habentia ferre non possunt... nisi singulis in casibus atque de specifica approbatione Summi Pontificis*».

Quid sibi vult illud «de specifica approbatione Summi Pontificis? Remitto ad illa quae recenter scripsit clarissimus Urrutia²⁰ et quae sic applicari possunt ad rem nostram:

1) Non agitur de approbatione in sensu confirmationis actus iam emanati a Dicasterio, sed de actu emanando in futuro.

«Agitur scilicet de approbatione quae et quatenus continetur in facto concessionis potestatis quam Dicasterium non habet et a Summo Pontifice postulat. Concedendo facultatem petitam Summus Pontifex "approbat" quod Dicasterium possit actum, de quo agatur, ponere et hoc sensu et ipsum actum approbat»²¹

2) Nec agitur de approbatione specifica cuius ope actus natura mutatur eo quod transformetur in actum Romani Pontificis. Sed, mediante hac approbatione, Summus Pontifex concedit «petitam potestatem ut Dicasterium ponat hunc actum» in concreto, i.e. in eius specifica natura.

3) Haec approbatio specifica nec requirit ex parte Pontificis plenam ipsius actus ponendi cognitio-

²⁰ F.J. Urrutia, Quandonam habeatur approbatio «in forma specifica», in *Periodica* 80 (1991) 3-17.

²¹ *Ibid.* p. 11.

nem, sed sufficit «*ut S.P. informetur de indole actus quatenus legislativi aut derogativi praescripti... iuris universalis vigentis*».

Uno verbo, approbatio haec specifica «non est approbatio «in forma specifica», sed est delegatio potestatis ut Dicasterium ponere possit actum «specificum» quem in hoc casu singulari Dicasterium emanare intendit quem secus emanare non posset», quique actum ponit sub responsabilitate et discrecionalitate ipsius Dicasterii²².

3. Agitur de Decreto in quo etiam impletur praescriptum Const. Pastor Bonus, de consilio exquirendo cum coetibus Episcoporum (art. 26.1), quando agitur de apparandis documentis maioris momenti, nam, ut expresse ait in Introductione, «sententiam rogavit Conferentiarum Episcopali».

Ut enim iam dixi, a. 1986, schema Decreti subiectum est examini et suggestionibus Episcoporum. Nihil dictum est publice de fructibus huius consultationis. Ut videtur, dimidia pars circiter Conferentiarum responsum dedit, et quidem hac plus minusve mente: Conferentiae Episcopales mundi occidentalis, ut plurimum, minus faverent huic experientiae de missis sic dictis «plurintentionalibus», dum ceterae illam approbarent et laudarent. Ex quibus erui videretur rationem potiore pro nova disciplina esse sacerdotum penuriam ad rite adimplendas petitiones christifidelium.

Praeterea adfuit quoque consultatio aliorum Dicasteriorum, iuxta praescriptum Constitutionis Pastor Bonus (art. 17): «collatis demum consiliis cum aliis Romanae Curiae Dicasteriis, quorum interest» (Intr.).

²² *Ibid.*

4. Decretum, denique, vim suam exserit iuxta normam generalem: expletis tribus mensibus a die qui Actorum numero appositus est (c. 8, § 1), ideo quod nulla nec brevior nec longior vacatio fuit statuta²³.

B. DE PARTE MOTIVA DECRETI

Antequam partem disciplinarem tradat, Decretum habet praecambulum seu partem motivam in qua ratio ac opportunitas normarum exhibetur.

1. Brevi sermone haec pars motiva synthesim dat et de sensu theologico-pastorali stipendii, et de eius historia, et de vigilantia S. Sedis curantis «*ut, pro societatis et civilis cultus mutatis adiunctis, apta ratione ordinaretur, ita quidem ut vitarentur vel, si irrepsissent, tollerentur abusus*».

Coram novas habitudines circa «hanc piam traditionem», de quibus iam diximus,

*«plures Episcopi Sanctam Sedem consuluerunt circa agendi rationem... qua Sanctae Missae celebrantur ad satisfaciendum intentionibus, quas "colectivas" appellant», ita tamen ut ipsa quaestio iam nonnullam incertitudinem, immo et anxietatem, manifestet*²⁴

²³ Brevissima nota ad praesentationem Decreti, apud *L'Osservatore Romano*, 23 marzo 1991, ait expresse: «*Il presente Decreto... entrerà in vigore con la pubblicazione sugli Acta Apostolicae Sedis, a norma del can. 8, § 1, del CIC*» (p. 1). Confusio non levis exorta est in hac re ideo quod versio italica, etiam apud ephemerides vulgata, aiebat sub fine: «*Il Sommo Pontefice... ne ha ordinato la promulgazione e l'immediata entrata in vigore*», dum textus authenticus latinus ait: «*Summus Pontifex, relati Decreti normas in forma specifica die 22 ianuarii 1991 approbavit, easque promulgare et vigere iussit*».

²⁴ Videretur, tamen, ex tenore consultationis, unquam primitus S. Sedem de re nostra dixisse, cum revera praesto sint, ut in

2. Sed in hac nova agendi ratione non omnia per modum unius considerata et solvenda sunt, nam plures induit formas sat diversas. Quapropter Decretum «Mos iugiter», diversa diverse iudicat, tres recensens formas huius novae habitudinis:

a) fideles modica donaria sacerdotibus ferentes, non exinde expresse postulantes ut pro sua particulari intentione particularis Missa applicetur. Et addit: «*his in casibus licet unire plures intentiones pro celebrandis totidem Missis quot correspondeant stipi dioecesanae*». Sic fieri consuevit a tempore, mediante «caxa» in templo apposita, pro celebrandis missis in sufragium animarum Purgatorii.

b) Fideles libere conferentes in unum intentiones et oblationes, unam tantum requirentes Missam pro suis intentionibus celebrandam. In hac hypothesis summa pecuniae accepta non tota ad missarum celebrationem iuxta stipem dioecesanam destinatur sed etiam ad sustinenda opera apostolica (cf. c. 946). Est hypothesis non respuenda, sed ulterius definienda, ut de facto fit in Decreto.

c) sacerdotes (non iam christifideles in genere) stipendia proprie talia²⁵ *pro celebrandis totidem Missis in unum conflantes, insciis fidelibus, quibus unica Missae celebratione iuxta intentionem sic dictam collectivam satisfacere autunmant*». Est hypothesis delenda, utpote graviter abusiva, ut dein dicemus.

praenotandis diximus, et invitatio Secretariae Status ad Praefectos Dicasteriorum competentium, a. 1974, ut verbum dicant de re, et suggestiones S. Paenitentiariae a. 1984.

²⁵ Dum loquimur de stipendiis proprie talibus, dicimus de illis in CIC, c. 945-958, contemplatis vel iuxta c. 1264 definitis; seu, aliis verbis, de iis quae ordinantur ad applicationem individualement obtinendam et quae ut talia a sacerdote accepta sunt.

C. DE PARTE NORMATIVA DECRETI

Decretum iam transit ad partem normativam, septem articulis exstructam, in qua pro viribus dicam:

1. *De iis quae reprobantur.*

Abusus, et quidem gravis, iudicatur

«promiscue stipes colligere pro celebrandis Missis iuxta peculiarem intentiones, et illas, insciis oblatores, in unum conflantes, unam tantum Missam celebrare iuxta intentionem quam collectivam nuncupant, sese hoc modo susceptis oneribus satisfacere arbitantes» (art. 1.2).

Abusus, igitur, ita configuratur:

1) stipes, iuxta peculiarem intentionem, in unum conflare: stips (seu elemosyna), hoc in loco, non quaelibet oblatio sed illa sacerdoti data et ab ipso accepta ut *«iuxta certam intentionem Missam celebret et applicet»*.

2) promiscue (i.e. sine distinctione) ita ut una iam non amplius separaretur ab alia.

3) pro quibus una tantum Missa celebretur, quidquid sit de natura sive theologica sive mere disciplinari prohibitionis ne quis pluribus oneribus ex iustitia unica tantum applicatione satisfaciat.

4) insciis oblatores. Unde si ipsi sciant (et consentiant), nulla fieret iniuria, iuxta principum enuntiatum in parte motiva, nempe *«planum est fideles libere semper conferre posse in unum intentiones et oblationes, unam tantum requirentes Missam pro suis nempe intentionibus celebrandam»*.

Ratio huius vetiti est saltem disciplinaris:

«ne inducat in fideles desuetudinem offerendi oblationes pro celebrandis distinctis Missis iuxta distinctas singulares intentiones, et ita extinguere venerandam consuetudinem singulis animabus et toti Ecclesiae salutarem» (art. 2, § 3).

Addas quoque rationem contractualem, quid sit de eius concreta explicatione: «...*debitum solvere ex iustitia erga stipes offerentes*» (Pars motiva); vel etiam: «*ex iustitia obligatione tenetur*» (art. 1.1).

Daturne quoque ratio theologica, eo quod Missa pro pluribus oblata minus singulis prodeat? Decretum nihil dicit de hac re, sed sententia hodie communior negative respondet²⁶. Et revera si ratio theologica obstaret, non data fuissent indulta, hac in re, ut ait ORTOLAN. Ipsi auctores qui nostro tempore adhuc pergunt in sermone de fructibus Missae (generali, speciali — seu ministeriali — et specialissimo), abstrahunt a sic dicta «mathematica» pridie habituali (nempe utrum Missa pro pluribus oblata minus singulis prodeat)²⁷; vel simpliciter malunt loqui de intercessione quae in Missa habetur et de modis diversis participandi in Missae sacrificio, seu de dispositione fidelis ut fructus Missae ei applicentur²⁸.

Legislator dum reprobat modum agendi, reprobat quoque rationes quibus nova praxis innititur: «... *ad hanc defendendam agendi rationem adducuntur argumenta speciosa..., immo et pretexta, quin etiam falsam redolent ecclesiologiam*» (Pars motiva). Nihil

²⁶ Doctrina de fructibus Missae, prout insunt illi sacrificio ex opere operantis (praesertim ex dispositione sacerdotis celebrantis), hodie pluribus auctoribus minus placet (cf. K. RAHNER-A. HAUSLING, *Le molte messe e l'unico sacrificio*, Brescia 1971), novas vias proponentibus. Talis doctrina neque arridet consultoribus coetus de sacramentis, iuxta Comm. 13 (1981) 432: «*Incommodum redactionis, praeter eius longitudinem, in eo est ut ipsa supponat doctrinam de distinctione sic dictorum fructuum Missae*».

²⁷ Cf. J.A. SAYÉS, *El misterio eucarístico* (Madrid 1986), 344-347.

²⁸ Cf. K. RAHNER-A. HAUSLING, *Le molte messe e l'unico sacrificio*, p. 71.

amplius addit. Sed Secretarius Congregationis, in commento apud L'Osservatore Romano illud magis explicat:

— speciosum esset arguere ex Eucharistia tanquam actione etiam Eccelsiae contra applicationem pro intentione singulari «*vel pro voluntate fructus destinandi iuxta nostrum placitum*».

— speciosum quoque, iuxta Excmum. Secretarium, arguere ex quadam ecclesiologia

«circa i meriti infiniti dell'unico sacrificio della Croce, circa la celebrazione del sacramento di quell'unico sacrificio che Cristo ha affidato alla Chiesa, e circa il "thesaurus Ecclesiae" di cui la Chiesa dispone»,

ut tandem aliquando perveniatur ad reprobendam doctrinam de fructibus Missae.

Thesim, praeterea, sustinet Congregatio non tantum ex reprobatis argumentis contrariis, sed etiam ex rationibus positivis:

— ex necessitate adimplendi obligationes ex iustitia susceptas;

— ex protectione sic dictae «*piae et praetiosae traditionis*»²⁹, cuius ope pluribus sacerdotibus in praesenti necessaria ad vitae sustentationem inde proveniunt et pluribus particularibus Ecclesiis adiumenta quibus indigent ad apostolicam navitatem explicandam (Pars motiva).

Si *crisis* disciplinae liceat, tantum dicam bene reprobari id quod reprobatur. Nulla habetur vera ratio ad infrangendum principium traditionale «*tot*

²⁹ Sic sonat etiam titulus commenti Excmi. D. AUGUSTONI apud L'Osservatore Romano: «*A tutela di una pia e preziosa tradizione*».

Missae quot stipendia». Duo tamen notentur quoad argumentationem Decreti:

— Si abusus datur quia insciis oblatores, sufficit quod ipsi consentiant ut iam cesset reprobatio. Unde fulcrum disciplinae hac in re («*tot Missae quot stipendia*») aliquatenus infirmatur: valet quousque christifidelis aliud non dicat, propria sponte vel proponente sacerdote iuxta habitudines paroeciae vel loci sacri, dum stipem seu oblationem tradit³⁰. Nonne sic inducitur elementum quod facile ambiguitati ac subiectivismo indulget?

— Videretur, praeterea, Decretum nimis instare in rationibus et consecrariis «oeconomicis», etiam quando aliae rationes citantur, ac si ratio oeconomica esset potior et gravior contra novam habitudinem³¹. Displiceret quidem quod Decretum intendens ab stipendiis omnino arcere etiam speciem negotiationis vel mercaturae (cf. c. 947), videretur curam de abundantia stipendiorum prae coeteris promovere. Sed de iis denuo infra erit sermo.

³⁰ In Colloquio Brixienti, mense Iunio, 1991, diversam sustinui sententiam, nempe licere accumulare oblationes liberas et indeterminatas, non stipendia proprie dicta. Si vero christifideles consentiant etiam stipendia proprie dicta accumulare, hoc non derogaret principio «*tot Missae quot stipendia*», sed mutaret naturam oblationis, quae tandem aliquando aequipararetur oblationi liberae et indeterminatae.

Nunc tamen, promulgato textu apud AAS absque ulla emendatione relate ad textus editum apud *L'Osservatore Romano*, non obstantibus quibusdam suggestionibus, dubium non est quod principium traditionale «*tot Missae quot stipendia*» aliquatenus infirmatur et quod, suppositis supponendis, accumulatio valet etiam quoad stipendia proprie dicta.

³¹ Videas in parte motiva paragraphum «*Gliscens his mos grave periculum facit...*»; et in parte normativa, art. 2, § 3; art. 5, § 1.

2. *De iis quae approbat.*

Licet unica Missa, iuxta «collectivam» intentionem applicata, oneribus suceptis ex variis stipendiis a fidelibus traditis satisfacere, modo oblatores, praevia et explicita ratione praemoniti, libere consentiant atque impletis quibusdam conditionibus.

Haec nova hypothesis variis elementis configuratur, scil.

1) Agitur de unica missa, celebrata et applicata ad intentionem collectivam: in hoc nulla novitas, nam respondet situationibus iam a tempore exstantibus, de quibus in proemio Decreti, ut supra diximus³².

2) qua sacerdos pluribus oneribus ex variis stipendiis susceptis satisfaciat: hic certo venit novitas, quae pergit usque ad derogationem, pro casu, principii «*tot Missae quot stipendia suscepta*», ut supra diximus. Sic videtur:

— ex verbis adhibitis: semper fit sermo de «stipe» («...*ut ab ipsis traditae stipes cum aliis in unum conflentur ad unicam Missam celebrandam*») i.e. idem verbum ac illud adhibitum in articulo primo. Ergo ubi legislator non distinguit, nec nos debemus distinguere, i.e. non agitur tantum de oblationibus liberis et indeterminatis, sed de quibuslibet oblationibus.

— ex eo quod dicatur «*exceptio relate ad normam iuris*» (art. 2.3). Unde derogat, pro casu, principium statutum in can. 948. Sic eruitur etiam ex necessaria delegatione potestatis ex parte Romani Pontificis, eo quod aliquatenus derogat iuri exstanti in Codice.

De facto in quodam commentario ad Decretum dicitur: «*Agitur de Missa quae applicatur pro variis*

³² Videas Decretum, partem motivam, parag. 5-6.

intentionibus particularibus, cum eorum correlativis stipendis, sint vel non illa statuta in dioecesi, tradantur directe vel mediante capsula»³³.

3) Modo oblatores, praevia et explicita ratione praemoniti, libere consentiant. Novum ergo elementum huius figurae. Si consensus fidelium requiritur, hoc est quia de se laeditur debitum ex iustitia erga stipes offerentes, quod debitum oritur ex stipe oblata et acceptata pro celebranda iuxta singularem intentionem Missa.

UNO VERBO, agitur de hypothesis sic enuntiata in parte motiva Decreti: «*Planum est fideles libere semper conferre posse in unum intentiones et oblationes unam tantum requirentes Missam, pro suis intentionibus celebrandam*».

4) Omnibus perpensis quae attinent ad nostram rem, hae sunt condiciones enumerandae. Ad novam praxim instaurandam:

a) Praemoneantur christifideles de nova ratione agendi, necnon et de rationibus quae eam sustinent.

b) Sacerdoti celebranti licebit retinere «*solam stipem in dioecesi statutam*» (art. 3.1); dum coetera pecuniae summa «*hanc dioecesanam stipem excedens, remittenda erit Ordinario, de quo in can. 951.1, qui illam impendet in fines iure determinatos*» (art. 3.2); i.e. non Ordinario loci in quo Missa celebratur, sed Ordinario proprio celebrantis, «*nisi de parochis et*

³³ «Es la Misa que se aplica por varias intenciones particulares, por la que se han dado los respectivos estipendios, sean o no los establecidos en la diócesis, se entreguen directamente o a través de buzones» (V. DURBÁ, «Reconocimiento, regulación y restricción de las misas "colectivas"», *Iglesia en Valencia*, 14 abril 1991, p. 2).

vicariis paroecialibus, pro quibus ordinarius intelligitur ordinarius loci, agatur»³⁴.

c) Publice nuntientur dies, locus et hora celebrandae istius Missae (art. 2.2).

d) Hoc fiat «*ad summum bis in bedomada*» (art. 2.2), «*in uno eodemque loco cultus*», iuxta explicationem Excmi. Secretarii Congregationis³⁵. Agitur, proinde, de clausula restrictiva, ad mentem PAULI VI: «*Expedit tamen enixe indicare quod, iuxta mentem Romani Pontificis, nec commendari nec foveri debent illa incoepta vel illae habitudines quae aptae sint ad minuendam copiam elemosynarum vel ad minorandum momentum oblationum singularium*»³⁶.

3. Normae quae iterantur.

Cura permotus de vitandis abusibus in re ita gravi, legislator monet Rectores praesertim sanctuariorum aliorumque locorum, quo frequentes peregrinantur fideles, et solent affluere oblationes pro celebrandis Missis: advigilent ut ad amussim serventur normae statutae de stipendiis (art. 4)³⁷. Nam, ut ait

³⁴ Pontificia Commissio CIC authentice interpretando, Responsio ad proposita dubia, 23.4.1987, in AAS 79 (1987) 1132.

³⁵ G. AGUSTONI, «A tutela di una pia e preziosa tradizione», p. 5. Scribit V. DURBÁ: «Por "lugar", se entiende lugar de culto, es decir, una iglesia, parroquial o no; pero no es propiamente lugar abierto al culto un oratorio, capilla o ermita» (l.c., p. 2).

Agitur de interpretatione sat curiosa, cuius non dantur rationes quaeque sustineri nequit.

³⁶ Secretaria Status, Littera ad Praefectos Congregationum, 17 iunii 1974, EVS/511.

³⁷ Expositionem disciplinae universae de stipendiis videas, v. gr. apud J. MANZANARES, «Eucaristía», in J. MANZANARES-A. MOSTAZA-J.L. SANTOS, *Nuevo Derecho Parroquial*, 2 ed. (Madrid 1989) 240-257.

Excmus. Secretarius, «*ibi habentur conditiones favorabiliores ad ignoranda praescripta huius Decreti*»³⁸.

Mens etiam vertit ad sacerdotes

«qui copiosas recipiunt oblationes pro celebrandis missis iuxta particulares intentiones» (v.g. in Commemoratione omnium fidelium defunctorum vel in aliis specialibus adiunctis) *«quique intra annum ipsis susceptis muneribus satisfacere non possunt, ne ipsas recipere abnuant, quod piam offerentium voluntatem frustraret et illos amoveret a laudando proposito, sed acceptae aliis sacerdotibus remittant* (cf. c. 955) *vel proprio Ordinario* (cf. c. 956)» (art. 5.1).

Tandem aliquando agitur de sectanda «communicatione bonorum», ipsa communione eucharistica in-nixa.

4. *De officio Episcopi dioecesanii hac in re*

Duo, praesertim, annotantur in Decreto: officium edocendi tam sacerdotes (sive saeculares sive religiosos³⁹: art. 6) quam fideles (art. 7) de hac disciplina; et officium invigilandi super eius observantiam. Nihil tamen dicitur de licentia Episcopi ut haec nova praxis in dioecesi applicetur, ut dicebat Instructio Sacrae Paenitentiariae; facultas iam venit ex ipso Decreto pro universa Ecclesia latina.

Sed addit insuper lineamenta pro catechesi fidelium, in quibus sublineatur prae aliis aspectus religiosus stipendii i.e. relatio oblitoris ad Deum, quamvis etiam consideretur relatio mutua inter donatorem et

³⁸ G. AUGUSTONI, «A tutela di una pia e preziosa tradizione», p. 5.

³⁹ Res mira videtur haec responsabilitas «formativa» quoad sacerdotes religiosos, ex parte Episcopi. Quid vero spectat ad proprios superiores?

donatarium⁴⁰, quae generatim ut contractualis interpretatur⁴¹.

Haec sunt capita praecipua talis catecheseos:

1) Oblatio stipendii tamquam signum oblationis suisipius, qua fideles plenius participant sacrificio; vel, iuxta «Firma in traditione», ut «*usus quo fideles Christo, se hostiam offerenti, arctius sociantur et abundantiorum fructuum copiam inde percipiunt*».

Aequae iam dixerant Episcopi Galliae:

«christifidelis, propriam oblationem deferens ad missae celebrationem, actum materiale ponit dum pecuniam tradit... Hoc actu donat aliquid suum, significans oblationem sui ipsius, propriam unionem sacrificio Christi, in communitate christiana celebrato»⁴².

⁴⁰ Iuxta sententiam communiorem, inter donatorem et donatarium obligatio exurgit ex iustitia ex utraque parte: cf. Z. VARALTA, *Natura giuridica del rapporto di offerta e accettazione di «stipendium missae»* (Roma 1942), pp. 166-231. Sed bene animadvertit clarissimus auctor: «*Come il ministero sacro non può essere paragonato ad una qualsiasi altra attività d'indole fisica e materiale, così il vincolo giuridico, che dall'esercizio di esso deriva, non può andare trattato alla pari dei rapporti che derivano da attività d'indole inferiore, ancorché il tipo giuridico ne sia tecnicamente uguale*» (p. 231).

⁴¹ Cf. Z. VARALTA, *Ib.*

⁴² Conseil Permanent de l'Episcopat, «Note sur les offrandes de messes», 26.5.1981, in DC 8 (1981) 653. Placet etiam citare-RAHNER-HAUSSLING: «*La più forte espressione culturale del fatto che ora la Chiesa offre se stessa nel sacrificio di Cristo la si trova nell'offerta dei doni che avviene all'offertorio dei fedeli. Essa è un segno costitutivo del cooffrire che i fedeli fanno del sacrificio... e, come tale, costituisce un diritto e un dovere onorifico di coloro che, grazie al battesimo, partecipano al sacerdozio (comune) di Cristo. L'oblazione conserva il carattere di segno e la relazione essenziale al sacrificio della Messa, pure quando l'offerta dei doni avviene solo fuori la Messa... Lo stipendio rimane... il dono sacrificale offerto da quelli che nella Chiesa possono e vogliono compiere il*

2) Valor asceticus elemosynae, «*quae instrumentum est ad caritatem concretam reddendam*»⁴³, cuius oblatae stipites pro Missarum celebratione excellentissimum sunt elemosynae exemplum.

3) Communicatio bonorum qua scilicet, christifideles «*oblatis pro Missarum celebratione, alendis sacrorum ministris et fovendae apostolicae navitati Ecclesiae cooperantur*». Non aliter docet c. 946: «*christifideles stipem offerentes ut ad suam intentionem Missa applicetur, ad bonum conferunt Ecclesiae atque eiusdem curam in ministris operibusque sustinendis ea oblatione participant*».

Nihil amplius addit Decretum de hac re. Sed bene adhuc ab aliis extollitur stipendium tanquam signum fidei de mediatione ecclesiali, iuxta scripta a CARD. MARTY: «*Factum ipsum quod petatur intercessio reddit omnes nos promptiores ad intentiones apostolicas et fraternales Ecclesiae, sicut et ad preces pro omnibus fidelibus defunctis*»⁴⁴.

Consecrarium ex hac verificata integratione perspectivae et iuridicae et liturgico-pastoralis est quod usus stipendiorum ad Missae celebrationem «*non solum probatus est ab Ecclesia, sed etiam promotus*» (*Firma in traditione*, Intr.).

sacrificio insieme con Cristo» (*Le molte messe e l'unico sacrificio*, pp. 137-138).

⁴³ Exhort. Apost. *Reconciliatio et paenitentia*, 26, in EV 9/1158. Videas quoque Tob 12,8.

⁴⁴ DC 69 (1972) 1000. Audiatur etiam D. BOROBIO: «*Cuando el fiel entrega un donativo como estipendio, no hace sino confesar a través de este signo, su fe y su confianza en la eficacia de la mediación eclesial. Y más en concreto, en el valor de la representatividad del sacerdote que preside la Eucaristía*» (D. BOROBIO, «Para una fundada valoración de los estipendios», *Phase* 19, 1979, 144).

Hoc verum non impedit quod simul et detur alia tendentia requirens oblationes fidelium ad subveniendas necessitates Ecclesiae, sed simul et quaerens «*ut proventus sacerdotum separentur ab actibus ministerii, praesertim sacramentalibus*»⁴⁵. Eodem sensu in c. 945, § 2 «*enixe commendatur sacerdotibus ut, etiam nulla recepta stipe, Missam ad intentionem christifidelium praecipue egentium celebrent*»⁴⁶.

III. Animadversiones circa disciplinam decreti

1. Retinentur oblationes fidelium ut ad suam intentionem Missae applicentur, in quibus, non amissa relatione ex iustitia inter donantem et donatarium, sublineatur praeprimis aspectus religiosus i.e. relationis oblitoris ad Deum⁴⁷.

⁴⁵ Synodus Episcoporum a. 1971, Documentum Ultimis in temporibus, Parte II.II.4: EV 4/1234. Merito tamen adnotat Episcopus Conquensis (Hispania): «*Es indudable que... los ministros de la Iglesia se sentirían casi siempre más a gusto con un sistema de aportaciones espontáneas o de libre determinación de los fieles... sin taxación alguna. Sin embargo no está probado en la experiencia que la voluntariedad indeterminada sea en todos los casos ni el único ni el mejor camino, tanto si se atiende a su eficacia como a la misma voluntad real de los fieles*» (EXCMUS. J. GUERRA CAMPOS, «Contribución de los fieles al sostenimiento de los sacerdotes. Tasas indicativas», *Boletín Oficial del Obispado de Cuenca*, 1975, 3). Taxae indicativae dicuntur non eo quod non possint exigi a christifidelibus, sed quia dum statuuntur, suadetur sacerdotibus ut eas applicent cum benignitate, attentis casibus singulis.

⁴⁶ Videas etiam *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, c. 716.

⁴⁷ De historia stipendiorum cf. J.A. JUNGMAN, *El sacrificio de la Misa. Tratado histórico-litúrgico* (Madrid 1953) trat. II, part II, n. 1-22, pp. 629-653).

2. Ex disciplina vigente iuxta novum CIC, reafirmatur principium de tot Missis celebrandis quot stipendia recepta ad individuum applicationem, cuius violatio gravis abusus denuntiatur contra onus ex iustitia susceptum, quomodocumque explicetur ratio talis oneris ex iustitia⁴⁸; simul ac mitior redditur applicatio principii ideo quod, consentientibus fidelibus, nihil vetat, coeteris servatis, etiam stipendia tradita accumulare⁴⁹.

3. Tanquam consecrarium huius principii, Decretum aliud reprobatur aliud approbat in nova praxi de Missis ad intentionem «collectivam», scil.:

⁴⁸ Cf. Z. VARALTA, *Natura giuridica...* (supra, nt. 40). In parte I^a operis recenset et crisi submittit diversas theorias sive extracontractuales («*teorie dell'obbligazione morale, dell'obbligazione naturale, dell'obbligazione ex lege, della tassa e del quasi contratto*») sive contractuales, tam si sint contractuales unilaterales («*teoria della donazione modale, della donazione condizionata, della donazione pura, delle donazioni concorrenti, del mandato o del mandato con deposito*»), quam si sint contractuales bilaterales («*teorie del contratto innominato, della locazione d'opera e della locazione d'opera*»). In II^a parte propriam sententiam proponit, quae tandem aliquando est illa «*della locazione d'opera*».

⁴⁹ Non raro ipsi sunt christifideles qui talem Missae applicationem plurintentionalem postulant, iuxta testimonium traditum in colloquio Brixienti/Junio, 1991: «Praxis Missae plurintentionalis potius ab ipsis fidelibus introducta est quam a sacerdotibus. Fideles enim nihil aliud volunt quam ut intentiones, ab eis oblatae cum stipendio, celebrentur et prolegantur publice (ut plurimum in oratione fidelium) *certa hora et die ab ipsis constitutis*. Malunt intentionem propriam potius cumulari cum intentionibus aliorum quam differri in aliam diem vel in aliam ecclesiam committi (v. gr. apud missionarios, vel monachos). Fideles ergo bene sciunt factum cumulationis, immo id exigunt. Qua de causa, executio Decreti «Mos iugiter» magnam resistentiam excitabit, ut praevideri potest» (Testimonium ex dioecesi Roermond, in Neerlandia).

— reprobatur quicquid sit ex parte sacerdotis, proprio Marte, conflare stipendia, quibus ipse satisfaciat una tantum celebratione et applicatione⁵⁰;

— approbat vero novam habitudinem quando hoc modo configuratur, nempe: 1) fiat fidelibus scientibus et consentientibus, praehabita aequa catechesi de sensu harum celebrationum atque de destinatione oblationum fidelium (cf. art. 7); 2) sacerdos celebrans retineat solam stipem in Dioecesi statutam⁵¹, dum coetera pecuniae summa hanc dioecesanam stipem excedens, remittatur Ordinario de quo in can. 951, § 1, qui illam impendit in fines iure determinatos⁵²; 3)

⁵⁰ Ad red Sacra Paenitentiaria dicit: «...non raro sacerdotes facilliter se eximunt a satisfactione huiusmodi onerum, et formam quamdam mentis falsam ostendunt iuxta quam iudicant per devolutionem stipis missarum in fines bonos satis se fecisse obligationi sumptae, etiam si revera missas non applicant iuxta fines intentos ab oblatores» (Inst. Suprema Ecclesiae bona, 15.7.1984: EV S1/907).

⁵¹ Ex hoc etiam patet quod stipendia definita iuxta c. 1264 nequeunt dici «mere orientativa», sed taxativa. Aliud est quod fideles possint voluntarie magis dare, vel quod sacerdos voluntarie possit et minus recipere.

⁵² Ad modum exempli, sufficiat hae citare: «La somma eccedente l'offerta che può essere trattenuta dal celebrante secondo la misura stabilita dalla Conferenza Episcopale Regionale del Lazio, dovrà essere fatta pervenire all'Ufficio Amministrativo del vicariato e sarà integralmente destinata alla costruzione delle nuove Chiese, primaria necessità pastorale della diocesi di Roma» (Circolare di Mons. CAMILLO RUINI, Pro-Vicario di Roma, del 3 maggio 1991). Non raro, ante Decretum Mos iugiter, pecunia excedens stipendium dioecesanum destinabatur «para obras de caridad u otras obras parroquiales, anotándolo en los libros de cuentas de la Parroquia y dando cuenta de ello en la Vicaría de Asuntos Económicos» (Excmus. M. RUBIO, Ep. Salmanticensis, apud *Boletín oficial del Obispado*, 1982, 22). Ex parte sua, Conferentia Episcopalis Lusitaniae, praecipit: «depois de retirada para o

publice nuntietur dies, locus et hora celebrandae istius Missae, ad summum bis in hebdomada⁵³; 4) armonice concilietur cum praxi traditionali recipiendi oblationes pro celebrandis Missis iuxta intentiones singulares, quae retinenda est ut norma ordinaria.

4. Sub aspectu pastoralis, nova habitudo videtur tantum legitimari quando, attento petitionum et oblationum numero, sacerdotum copia praesto non est ad eas satisfaciendas; quare tamen despiciuntur aliae rationes v. gr. illa de natura communitaria Missae (*«ita ut non appareat intentio particularis quasi quoddam monopolium habere Missae quae offertur»*)⁵⁴, de communicatione bonorum exorta ex communione eucharistica, de voluntate adstandi Missae quae iuxta propriam intentionem offertur, de obligatione christifidelium subveniendi necessitatibus Ecclesiae, etc. quae etiam subsunt huic praxi, quaeque in decretis iuris particularis, supra memoratis⁵⁵,

sacerdote a parte correspondente à taxa diocesana, o remanescente seja enviado aos Serviços da Curia para a celebração de Missas pelas intenções dos oferentes. Ficará, assim, mais transparentes a natureza do estipendio e a isenção do celebrante» (Instructio pastoralis, 18 dic. 1984, pro manuscripto).

⁵³ Quandoque fit quaestio de motivo huius limitationis «bis in hebdomada». Sed ratio enuntiatur in art. 2.3: ne extinguatur veneranda consuetudo singulis animabus et toti Ecclesiae salutaris, utpote quae apta est pluribus ecclesiis particularibus adiumenta ferendi quibus indigent ad apostolicam navitatem explicandam. Audiatur, v« gr. Card. Renard. Arch. Lyonnensis: «si actuellement les honoraires de messes disparaissaient, cela se traduirait par une plus grande difficulté pour le budget de prêtres, en particulier pour les missionnaires et les prêtres *Fidei donum*, qui, d'Afrique et d'Amerique du Sud, nous disent leur pauvreté proche de la misère, et nous demandent des intentions des messes» ("Les honoraires de messe", in DC 68, 1, 396).

⁵⁴ *Comm.* 13 (1981) 432.

⁵⁵ Cf. supra notas 16-17.

aeque recensentur? Immo, nisi hae rationes aliquid valeant, ullo modo liceret applicare possibilitates recensitas in decreto in territoriis occidentalibus, vel in ipsa Urbe, ut revera fit.

Sub aspectu iuridico textus Decreti difficultates sublevat;

— *ex excessu* nam, quidquid sit de verbis, principium enervat quod fuit per saecula fulcrum disciplinae, nempe «*tot Missae quot stipendia*», et non obstantibus iis quae dicuntur apud Decretum, art. 1; timeri posset ne nova disciplina, praeter voluntatem legislatoris, nimis indulgeat ambiguitati et subiectivismo, ut supra diximus.

— *ex defectu*, quia si consensus fidelium principium fundamentale est ad tales Missas plurintentionales celebrandas, quaeri posset cur applicatio talis principii tantum valeat bis in hebdomada, si fideles frequentius hoc et volunt et exigunt⁵⁶. Si vero dicas, iuxta Decretum, art. 2.3. de necessitate curandi ne extinguatur veneranda consuetudo de Missa applicata ad intentionem singularem, utpote quae apta est pluribus ecclesiis particularibus adiumenta ferendi quibus indigent ad apostolicam navitatem explicandam, quaeri adhuc potest: ratio allata inservit eodem modo pro universa Ecclesia? Situationes enim non sunt uniformes nec quoad numerum sacerdotum nec quoad praxim religiosam vel ipsas habitudines de oblationibus fidelium⁵⁷.

⁵⁶ Cf. supra nota 49.

⁵⁷ Ex America Latina conqueruntur ideo quod praesertim apud paroecias numero fidelium copiosiores, applicatio Missae ad intentiones plurintentionales res quotidiana ab annis devenit, nec videtur quomodo talis habitudo mutari possit, attenta mente sive sacerdotum sive christifidelium, simul ac data penuria sacerdotum.

5. In dies fit semper communior sententia *applicationem non excludere applicationem* (sub aspectu pastorali recte explicandam ad vitandam mirationem fidelium), nam Missa pro pluribus oblata non minus singulis prodest⁵⁸. Manet semper valor intercessionis, quidquid sit de doctrina quoad sic dictos fructus Missae (generalem, ministerialem, specialissimum) a qua nova codificatio abstrahere voluit, necnon et valor participationis peculiaris illius qui mediante stipendio confert ad celebrationem.

Clarum tamen est *stipendium excludere stipendium*, ratione disciplinari, sed forse etiam ex ipsa natura rei, ut aiebat VERMEERSCH:

«Etenim, post factam cum uno oblatore pactionem de congruo stipendio, nemo alter potest iam eiusdem sacrificii esse per stipendium oblator; sed si alter quid contulerit, "id extra ambitum reperietur materiae respondentis celebrationi istius sacrificii... sicut non potest tributum bis solvi; sed post tributum redditum quidquid superimpenditur, aliam rationem habet»⁵⁹.

Dixi «forse»: quia obliviscendum non est oblationes fidelium habere ambitum ampliorem quam meram Missae celebrationem: «...ad bonum confecerunt Ecclesiae, atque eius curam in ministris operibusque sustinendis ea oblatione participant» (c. 946)⁶⁰.

⁵⁸ Sine dubio hoc interpretandum est in relatione ad naturam sacrificii eucharistici tamquam actualizationis sacramentalis unici sacrificii Crucis.

⁵⁹ A. VERMEERSCH, *Theologiae Moralis*, t. 3, p. 161, n. 260.

⁶⁰ Nonnulli voluerunt ut, deducto stipendio celebrantis, ea quae remanent ex oblationibus fidelium integre destinentur non ad subvenienda opera apostolica sed ad Missas celebrandas iuxta numerum supputatum attenta stipe statuta in loco. Legitimum esset, sed non necessarium, attentis his quae dicuntur in c. 946.

Sed etiam in hoc casu assertio *stipendium excludit stipendium* valet quoad partem retinendam a sacerdote celebrante.

6. Placuisset denique quod ratio «oeconomica» (i.e. necessitas obtinendi media ad subveniendas necessitates Ecclesiae) melius integraretur cum ratione liturgico-pastorali, ne aliter ratio prior ac potior videatur, non obstante diversa voluntate legislatoris.

Post Scriptum:

Apud nonnullas dioceses habitudo invaluit ab annis, ducibus Episcopis, abolendi oblationes pro sacramentorum administratione, non exclusis stipendiis pro applicatione missarum. Quae tamen habitudo non ignorat obligationem qua tenentur fideles necessitatibus subveniendi Ecclesiae (cf. c. 222 § 1), sed alio modo ei viam sternit. Quaeritur nunc quousque Decretum «Mos iugiter» afficiat talem praxim.

Responsio videretur negativa: quia in Decreto fit sermo de oblatione et stipe sive iuxta praescripta c. 1264 § 2, sive libera. Iam vero hypothesis supra dicta abstrahit a tali oblatione, quamvis faveat aliis modis oblationum, insequens dicta et hortata Synodi a. 1971: «*Valde optandum videtur, ut christianus populus ita pedetentim formetur, ut proventus sacerdotum separentur ab actibus ministerii, praesertim sacramentalibus*» (AAS 63, 1971, 921).

Haec tantum adnotarem: 1) Omnino servetur praescriptum de destinatione oblationum, si quando recolantur v. gr. in offertorio Missae, i.e. iuxta normas Episcopi, cuius est etiam providere congruae sustentationi presbyterorum; 2) In tutum ponatur, quantum fieri possit, ius fidelium requirendi applicationem Missae iuxta intentionem individuaalem stipe

oblata; 3) Foveatur quoque solidaritas, etiam in re materiali, erga Ecclesias egentiores, praesertim in territoriis missionum, iuxta commendationem Decreti «Mos iugiter».

JULIO MANZANARES